



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

15. De Origine Urbis Ultraiectinae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

statim eundem ad monasteria Columbæ: ad veritatem eius sufficit suo tempore iuisse. voluit enim Deus Egbertum remanere in Hiberniâ quem præordinauerat debito tempore ad monasteria Columbæ destinare. Nec Beda recenset illum statim adiuisse. Tertio, admodum probabile est extitisse monasteria instituti & regiminis Columbæ in Hiberniâ, saltem in parte Hiberniæ Pictis propinquâ, ad quæ reformanda statim se receperit Egbertus, (erat namque Hibernis iuxta ac Pictis venerabilis Columba gratumque eius institutum) inde reversum ad Frisiam Willibrordum dimisisse, ac demum anno 716. in Ionam profectum. Quomodo enim longo interuallo ab Hibernia in Iona distans emisisset Willibrordum sociosque in Hiberniâ agentes?

DISSERTATIO XV.

De Origine Urbis Ultraiectinæ.

VAledicto itaque hoc S. Patre Egbertoomnibus amicis longum valere iussis, duodecim Domini gregis arietes ex Hibernico littore soluentes, fœlicibus auris acti, tandem

Iuxta expectatum portus tenuere petitos. Legationis suæ effectum procuraturi, Wiltaburgû, (nunc Ultraiectum) intrant, in quo residebat Radbodus Frisonum Dux, qui ante aliquot annos armorum vi Francis illud eripuerat, aut saltem vi & armis contra Francos detinebat. Nullum maleficium Sacris Apostolis est illatum, & clementer à Radbodo habiti, quamuis eorum monitionibus obedire recusarent duræ cervicis Barbari.

Vt verò nihil omittamus quod ad plenissimâ Historiæ

H S. Wil-

S. Willibrordi eiusque sodalium intelligentiam illustrationemque spectare posset, aliquot dissertatiunculas de vrbis Ultraiectinæ origine, situ, nominibus adiungemus. Certi aliquid definire non profiteor, neque id est possibile in tanta rerum antiquarum obscuritate: diuersorum sententias plurimum recitabo, lectori iudicio relicto.

Nonnulli existimant Ultraiectum conditum tempore Neronis Romanorum Imperatoris ab exule quodam Antonio Neronianam tyrannidē fugiente. Existimationem eam plurimis refellit Guilelmus Heda Nobilis Traiectinarum rerum Scriptor in proæmialibus ad historiam Ultraiectinam: cap. 3. & Lambertus Hortensius lib. 1. secessionum Ultraiectinarum pro fabula repudiat, eo quod apud Scriptores nusquā omnino vel tenuis mentio fiat talis exulis. Alij initium sumpsisse ab Antonio Triumviro Iulij Cæsaris in Gallicis & Germanicis expeditionibus Collegâ, oppidorum & aliarum arcium conditore. Et hoc vero proximius esse indicat idem Hortensius. Hedæ magis placet origo attributa sub Druso Imperatore, qui Rheno plurima castella imposuit; fossam, quam Drusianam vocamus, aliàs Isalam, duxit. Raphael Volaterranus Traiecti Ptolomæi naualia ponit; cui contrariantur Petrus Appianus qui ea Swollam, alij qui Campē, Bernardus Furmerius qui Doccum Frisæ, ea interpretantur. Quid ages Lector?

Imus obscuri sola sub nocte per vmbra. Mihi probabile est ante aduentum Iulij Cæsaris Ultraiectum floruisse siue oppidum, siue vrbem. Eò cogitationem manu ducunt commoditas situs, vbertas soli cui circumvicina non certent: quam vtilem situationem habitatores Rheni, qui ante Iulium frequentes erant, non neglexisse, est credibile. Et solent quæ in vrbes eriguntur, antea diu fuisse habitata: cum igitur statim post obitum Cæsaris consensu Authorum

thorum Ultraiectum vrbs fuerit, verisimile est prius vel tanquam urbem siue oppidum claruisse, & quidem ob aquas Rhenanas mercatu nobile. Huius verisimilitudinem adiudicant nobis dicti Hortensius & Heda supra. Quando autem coeperit habitari, nimis incertum, aut quando vrbs facta, præter superiores opiniones nihil restat quod adferam.

DISSERTATIO XVI.

De eius nominibus eorumque variatione.

Sicuti Prouinciæ sæpe vocabula variarunt, ita & vrbes siue oppida, idque varijs ex occasionibus: vt à situ, conditore, instauratore, victore, Dominatore &c. Antoninam ab initio urbem eam fuisse appellatam, apud Authores constare asserit Hortensius & sic vocatam esse reliqui Authores tanquam certum habent. Vnicus quem vidi Pontus Heuterus lib. 2. De veteri & nouo Belgio cap. 9. dubius est hisce verbis: *Lambertus Hortensius aliquando dictum vult Ultraiectum Antoninam, sed id mihi rationibus non satis firmis, nec recepti Scriptoris testimonio comprobatur.*

Admisso Antoninam nonnumquam dictum, varietas rursus est à quonam illud nomen profluxerit Hortensius vero propius esse censer ab Antonio Triumviro Cæsaris Iulij in Galliis collegam, de quo supra. Heda verosimilius putat nomen istud sortitum ab Antonia Drusi coniuge: aut ab Antonia vxore L. Domitij ex Octauia sorore Augusti genita: aut Antonia matre Claudij filii Drusi Germanici, veluti ab Agrippina, Colonia Agrippina: à Druso eius patre, fossa Druliana: à Flauio Fratre Arminij Fleuum Castrum: à Vipsania Marci Agrippæ filia, Vespæ: ab Al-

H 2.

phego